QUÆSTIONES ANNO 1865

COLLATIONIBUS THEOLOGICIS

In Archidiœcesi Quebecensi Discutiendæ.

MENSE JANUARIO.

Baptista confitetur se, in omnibus electionibus membrorum Parlamenti, vocem suam dedisse illi Candidato qui sibi aliquam pecuniam dederat, aut promiserat; (excepta tamen quadam circumstantia, in qua, accepta pecunia ut vocem daret uni, votum suum alteri dedit) atque in omnibus casibus, priusquam votum suum daret, juramentum a lege præscriptum præstitisse.

Inde quæritur :

1°. An, et quantum peccaverit, accipiendo pecuniam eo fine ut vocem daret, seu vendendo sic votum suum ?

2°. An, in omnibus casibus supra expositis, præstando dictum juramentum se perjurio obstrinxerit ?

3°. An pecuniam, in quovis casu sic acceptam, retinere possit : et quatenus negative, cui restituere debeat ?

4°. Quid denique agendum, ut hujusmodi turpis et admodum detestabilis abusus coerceatur, arceatur, ac tandem penitus eradicetur ?

Titius jam a pluribus annis uxorem duxit Bertham viduam. Parochus, cum rescivisset filium Berthæ ex primo marito, a Titio olim in baptismo levatum fuisse, voluit eos separare tanquam ligatos impedimento dirimente. Respondit Titius : Tempore baptismi, primus Berthæ maritus nuper obierat et ego eam ducere jam cupiebam, nec tamen invitationem ut essem patrinus filii ejus declinare audebam; hinc sedulo abstinui a tangendo puerum dum baptisaretur et positivam intentionem habui non contrahendi impedimentum. Quæritur :

1°. An teneatur sub gravi sacerdos baptisans curare ut patrini baptisandum tangant ?

2° An hic tactus sit essentialis ut contrahentur obligationes a patrinis et impedimentum matrimoni ?

3°. Quid in casu ?

Caius confessarius 1°. frequentissime omittit *Misereatur... Indulgentiam... Passio Domini...* dicens solam formulam *Dominus noster...*; 2°. aliquando dicit *Misereatur... Indulgentiam...* dum penitens ultimam partem *Confiteor* recitat; 3° aliquando dicit immediate ante formulam *Dominus noster* et signum crucis facit super penitentem dicendo *Indulgentiam...*

Quæritur quid de iis sentiendum ?

MENSE MAIO.

Nicolaus cujusdam prædivitis ac potentis viri auriga, a quo largum stipendium recipit, quo potest numerosam familiam sustentare, sæpè dominum suum ad amasiam et hanc ad eum curru adducit; munuscula et quandoque etiam litteras ex jussu domini ad eam defert quas amatorias esse vehementer suspicatur, imo et quandoque pro certo habet: hæc omnia non prava intentione peragit, sed ex necessitate, cum pro certo habeat se alium difficillimè posse invenire dominum; ideoque in extremam vel saltem gravem egestatem facile redactum iri. Accidit vero ut quâdam nocte, dum ruri unà cum domino commoratur, ab ipso jubeatur ut scalam ædibus cujusdam villici apponat, seque et alium servum adjuvet ut ambo possint fenestram ascendere. Novit ipse herum suum velle honestæ puellæ vim inferre, hinc apertissimis verbis obtemperare renuit; at cum dominus ira exardescens, districto gladio, certam mortem sit ei jam illaturus, ad hanc vitandam præceptum perficit opus.

1°. Quænam sit cooperatio formalis, quæ materialis ?

2°. An et quando liceat materialiter peccato proximi cooperari ?

3°. Quid Nicolao præscribendum et quid consulendum ?

Caius presbyter cujusdam amici exequiis præsens, rogatus a parocho qui missam celebraverat ut absolutionem et sepulturam perficeret, noluit, dicens illa facienda esse ab eo qui missam celebravit. Quæritur quid de Caii opinione sentiendum ?

MENSE JULIO.

Gelasius mercaturam felici eventu exercens, brevi maximas congerit divitias. Tempore quadragesimæ concionatorem audit asserentem gravem esse obligationem omne statui superfluum in eleemosynas elargiendi. Confessarium adit, et ei hæc manifestat: 1°. Pauperibus publice vel ostiatim mendicantibus numquam stipem præbuisse, sed societati Sancti Vincentii a Paulo singulis mensibus aliquam eleemosynam elargiri et si a Parocho rogatus fuerit ut alicui familiæ necessitatem patienti auxilium præberet, libentissime obsecutum esse; 2°. cum quidam oppiduli gubernator captus fuisset a prædonibus qui eum occisuri erant nisi quatuor millia scutatorum pro ejus redemptione mitterentur, se noluisse hanc summam donare, licet enixè rogatum ab uxore captivi, unde

factum est ut miserandus gubernator occisus fuerit et ejus uxor ad egestatem redacta fuerit.

His acceptis, confessarius anceps hæret et secum quærit :

1°. An et qualiter obligatio urgeat eleemosynam elargiendi in extremâ et gravi communi pauperum necessitate ?

2°. Quid de singulis in casu ?

3°. Quid Gelasio præscribendum et consulendum ?

Caius presbyter quando in Missa solemni altare incensat, bis tantum ducit thuribulum quando duo sunt candelabra a medio altaris usque ad cornu epistolæ vel evangelii. Quæritur :

1°. An ipsa candelabra sint incensanda, vel potius pars superior mensæ altaris ?

2°. Quomodo fieri debeat hæc incensatio mensæ altaris ?

MENSE OCTOBRI.

Sempronius parochus catechismum explicans hæc tradit : Veram charitatem theologicam, qua omnes ex gravi præcepto Deum diligere tenemur, esse amorem purum, non mercenarium ; quo amore, Deum ut in se tantum bonum, absque ulla ad nos relatione, diligimus, non ut bonum nos beatificans ; aliter enim objectum spei cum charitatis objecto confunderetur. Huic autem doctrinæ vim addit illis Sancti Xaverii verbis : " O Deus ! ego amo te ; nec amo te ut salves me, aut quia non amantes te æterno punis igne.... non ut in cœlo salves me, nec præmii illius spe, sed sicut tu amasti me, sic amo et amabo te solùm quia rex meus es et solùm quia Deus es ! "

Hæc audit Cornelius clericus valde pius et statim anxius Caium confessarium adit, eique, his expositis, manifestat se vehementer angi eo quod Deum super omnia vere diligat sed tanquam summum hominis bonum, Deoque potiri cupiat veluti beatitudinis et felicitatis objecto ; quapropter timet Cornelius ne semper huic præcepto defuerit. Respondet Caius hos scrupulos esse abjiciendos, cum charitatis theologiæ objectum formale sit Deus in se et nobis bonus, et impossibile esse Deum alia ratione diligere : hunc autem amorem, si vere summus sit, charitatem illam esse qua perfecta contritio perficitur ; Sempronii doctrinam ab Innocentio XII in prima Fenelonii propositione damnatam fuisse. Cornelius adhuc anxius theologum consulit, a quo quærit :

1°. Quale sit formale theologiæ charitatis objectum ?

2°. Quid de doctrina Sempronii et Caii sentiendum ?

3°. Quid Cornelio respondendum ?

Sempronius parochus consuevit, quando eadem die sepeliendi occurrunt adultus et parvulus, exequias celebrare plurali numero quasi pro duobus adultis. Quæritur an bene ? et quatenus negative, quomodo agendum in hoc casu ?